

**1997-04-08 –SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Evangelii Disseminationem’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***EVANGELII DISSEMINATIONEM***

**TEMPLUM CATHEDRALE DEO DICATUM IN HONOREM S. IOANNIS BAPTISTAE IN  
DIOECESI SALTENSI IN URUGUAY AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Evangelii disseminationm dum prospicimus per orbem terrarum, singulari ratione communitatem ecclesialem Saltensem in Uruguay intuemur, centesimum anniversarium diem a sua institutione celebrantem, atque libenter obsecundare volumus petitioni Venerabili Fratris Danielis Gil Zorrilla, eiusdem dioecesis Episcopi, qui, cleri populique sibi concrediti vota interpretatus, rogavit ut templum cathedrale Deo dicatum in honorem S. Ioannis Baptistae Basilica Minor fieret. Sic ex Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consulto, Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, statuimus ut sacra haec aedes ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competit, secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum. Contrariis quibusvis non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Aprilis, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*